I.

Non eſt in hominis poteſtate conſilium tuum DOMINE) Hoc autem pro certo habet omnis qui te colit, quòd vita ejus, ſi in probatione fuerit, coronabitur; ſi autem in tribulatione fuerit, liberabitur, & ſi in corruptione fuerit, ad miſericordiam tuam venire licebit, Non enim delectaris in perditionibus noſtris: quia poſt tempeſtatem tranquillum facis, & poſt lachrymationem & fletum exultationem infundis. Sit nomen tuum DEUS ISRAEL benedictum in ſecula.

LVdere cum Sanctis quandoq; videtur IOVA,
Dum, quod corda petunt anxia, ſæpè negat.
Auſterũ vultum ſimulans animumq; retortum,
Sub quo, ſed tectè, Gratia certa latet.
Quippe ubi perpendit Sanctorum vota ſuorum,
Protinus à vultu vela inimica cadunt.
Scilicet ille ſuis quandoq; apparet ut hoſtis,
Qui tamen haud alius quàm pater eſſe poteſt.
Vt quæ ſit ſanctis pietasq; fidesq; pateſcat,
Illorum & quàm ſint ſeria vota preces.
Nunq; Deum ſaltem, cùm ſtat fortuna, ſequantur,
Et mox ſi tergum verterit illa, cadant.
Hoc VOLCKMARE *tuo, quo vix mihi carior alter,*
Triſtitiæ exemplo lætitiæq; doces.
Nuper enim totum complevit Cynthius orbem,
Atq; ſuum ſolito more peregit iter,
Ex quo Sponſe domum viduatam Coniuge ſolus
Rexiſti, & curæ te grave preſſit onus,
Nimirum officij ſine fine domusq; labores
Ingentes humeris incubuêre tuis.

Sic